

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Thomas Lindemann Christoph Lippe von der

**Disputatio De Testamentis, Quique Ea Facere Possint, & quemadmodum fiant**

Rostochii: Reusner, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316684>

Druck Freier  Zugang



R U. juv 1605  
Thomas Lindemann  
Resp. Churkpf. v. Lippe



Disputatio  
DE TESTA-  
MENTIS, QVI  
QVE EA FACERE POS-  
sint, & quemadmodum  
fiant.

Quam

DIVINA ANNVENTE GRATIA  
PRAESIDE

Clarissimo & Consultissimo viro

Dn. THOMA LINDEMANNO  
I. V. D. & Professore publico,

Publici exercitij causa proposuit

CHRISTOPHORVS A LIPPIA  
ROSTOCH.

Habebitur disputatio in auditorio magno 28.

Decemb. initio ad horam 6. matu-  
rinam facto.

ROSTOCHII

Apud Christoph. Reusnerum, 1605.



Landsberg 1163



# Disputatio DE TESTAMENTIS, QVIQUE EA FACERE POS- sint, & quemadmodum fiant.

THESES I.



Vccessio duplici jure obvenit,  
civili vel prætorio, hæc bono-  
rum possessio illa hereditas di-  
citur.

II.

Hereditas id est successio in  
universum jus quod defunctus habuit, quia vel ~~testam~~  
ab intestato defertur in testamentariam vel legi-  
timam rectè dividitur.

III.

De testamentaria dicturi, testamentum à te-  
statione mentis ita dictum, jure civili intro-  
ductum, cum Modestino voluntatis nostræ ju-  
stam sententiam de eo quod quis post mortem  
suam fieri velit, cum Vlpiano heredis legitimam  
institutionem definimus.

A 2

IV. Est

IV.

Est autem testamentum missis veteris juris divisionibus, publicum vel privatum.

V.

Publicum est quod publica autoritate & fide nititur, ut quod principi ad scrinia reponendum datur, ejusq; conscientiam tenet.

VI.

Cui testamento simile est, quod apud acta publica fieri solet, in quo nulos testes requiri, si ipse testator præsens voluntatem suam declareret, putamus.

VII.

Privatum est quod quis privata fide facit, idq; solemniter vel minus solemniter.

VIII.

Solemniter fit scribendo μυγκῶς vel nuncupando φανερῶς.

IX.

Cum verò, Cajo teste, imprimis animadver-tendum sit, an is qui fecit testamentum habuerit testamenti factionem, deinde si habuerit, an secundum regulas juris testatus sit, primo de personis testari volentibus, deinde de modo testandi dispiciemus.

Omnès

X.

Omnis autem testamentum facere possunt,  
qui prohibiti non reperiuntur.

XI.

Prohibitio ex duplice procedit causa vel natu-  
ra vel lege. X II.

Natura ob defectum animi testari prohibet,  
impuberes, furiosos, mente captos, & prodigos.

XIII.

Prodigos illos dicimus quibus magistratus de-  
creto bonis interdictum est, furiosos nominamus  
in ipso furoris actu constitutos, non vero diluci-  
da intervalla habentes, mente captos eos intelli-  
gimus, qui mentis & judicij integri non sunt,  
non vero simplices, stupidos.

XIV.

Ob defectum corporis natura testari vetat,  
mutos, surdos, simul ita natos vel ex accidenti  
factos literas nescientes.

XV.

Si vero scribere norint vel surdi mutive tan-  
tum sint, secundum constitutionem Iustiniani re-  
git testamenntum condunt.

XVI.

Cœcus quoq: non nisi per observationem le-  
ge Iustini introductam testari potest.

A 3

Por-

XVI.

Porro lege testamenti factio denegatur; iis qui alienæ potestati subjecti sunt, vel statum non habent, vel de statu suo dubitant.

XVIII.

Ob potestatem patriam filius familias de bonis proventitiis vel adventitiis testari prohibetur, adeo ut nec patre permittente, testamentum ab eo facti im valeat, licet donatio causa mortis, patris consensu firmata, subsistat.

XIX.

An autem de bonis adventitiis, in quibus pater usumfructum non habet, testari filius familias possit, controverti solet: quod negamus.

XX.

In bonis tamen Castrenibus vel quasi Castrenibus, recte filius familias testamentum facere potest.

XXI.

Dominica potestas servum testari non sinit.

XXII.

Inter lege testari prohibitos censemus, damnatos ad mortem, quos nec veteri nec novo iure nisi appellatione sententia suspensasit, testandi liberam facultatem habere arbitramur.

Huc

XXIII.

Huc quoq; vasallos, monachos, obsides, ab hostibus captos, propter hæresin excommunicatos & similes referimus.

XXIV.

Quia verò non sufficit testamentum à persona habili confici, sed & ut legitimis adhibitis solemnitatibus fiat necessum est, sequitur de ordinandis testamentis quædam subijciamus.

XXV.

Et quidem in omni testamento considerandum est ipsum testandi factum, ut id nullo extra neo actu interveniente cum heredis institutione fiat, & confirmatio hujus facti, quæ in testium legitima adhibitione consistit.

XXVI.

Testes autem regulariter omnes esse possunt cum quibus testamenti factio est.

XXVII.

Ex his tamen nonnulli testes esse prohibentur, vel natura vellege.

XXVIII.

Natura prohibentur, ob defectum animi vel corporis impubes, furiosus, prodigus, mente captus, mutus, surdus, cæcus, & similes.

Lex

XXIX.

Lex à testimonij dictione in testamento ar-  
cet mulierem, heredem institutum quemve ille  
in potestate habet, in cuiusve ille potestate est,  
fratresq; in ejusdem patris potestate constitutos.

XXX.

An verò filius emancipatus in testamento pa-  
tris testis esse queat quæri solet: Negantium sen-  
tentiam sequimur.

XXXI.

Prohibentur quoq; omnimodo Lege, im-  
probi & intestabiles, ob famosum libellum dam-  
nati, & similes.

XXXII.

Servum deniq; lex testem esse non sinit, cu-  
jus tamen testamenti faciendi tempore pro libe-  
ro ab omnibus habitu testimonium, Divus Ha-  
drianus ex sua liberalitate admittendū rescripsit.

XXXIII.

Legatarij & fidei commissarij, cum non ju-  
ris successores sint, Notarij quoq; & scriptores  
ut testamentorum, quominus in testamento te-  
stes esse possint nihil impedit.

XXXIV.

An verò per mortem unius vel plurium te-  
stium ante testamenti apertioñem supervenien-  
tem

tem testamentum rite factum corruat, dubitant  
Dd. Rectior est negantium opinio.

XXXV.

Cæterum testes idonei, rogati & numero se-  
ptem esse debent, ut his præsentibus, testator  
testamentum vel clausum vel apertum proferat  
idq; suum esse dicat, eiq; nisi sit holographum,  
vel manu propria, vel per octavum testem sub-  
scribat, & a testibus subscriptionem & consigna-  
tionem petat.

XXXVI.

Licet autem testes alieno annulo etiam ipsius  
testatoris signare queant, non tamen alter alterius  
nomine subscribere potest. *si v. ignorans litteris testator ali-*

*e' altero nomine eiq; subscribere pos-*

*l. fin. C. deti*

Annulus signatorius an præcisè requiratur an  
aliud signaculum ~~xægantie~~ habens sufficiat, inter  
Dd. non convenit? Hoc æquius putamus.

XXXVIII.

Deniq; nihil interest in qua materia testamen-  
tum scribatur, siue id in tabulis sive membra-  
nis fiat adeò ut & delititia charta & opistogra-  
phum sufficiat.

XXXIX.

Eadem quæ de testamento scripto vel mysti-  
co diximus, penè omnia in nuncupativo quoque  
obti-

obtinet, nisi quod in hoc nec scriptura testantis,  
nec subscriptio vel subsignatio testium requira-  
tur.

X L.

An verò si quis mysticum solemne testamen-  
tum facere volens, nuncupativi solummodo te-  
stamenti solemnitates adhibeat, valeat id ut nun-  
cupativum: Negamus.

X L I.

Sit tamen testator coram septem testibus &  
Notario voluntatem suam nuncupet, & Nota-  
rium roget, eam in scripturam redigat, ut no-  
stris moribus fieri videmus, nihilo magis testa-  
mentum hoc nuncupativum esse desinit.

X L I I.

Scriptura autem ad id utilis est, ut licet testes in  
confiendo testamento adhibiti mortui fuerint,  
in præsentia tamen testium à Notario conscri-  
ptum testamentum plenam fidem mereatur.

X L I I I.

Et tantum de solemnitate standi modo à quo in  
casibus nonnullis, vel ob imperitiam, periculu-  
rum functionum, personarum vel causarum fa-  
vorem, vel deniq; necessitatem receditur.

X L I V.

Milites enim in expeditione degentes, cum  
ver-

verba legum exaudire nequeant, vitaq; pericula  
subeant, ptaemij loco hoc beneficij habent, ut quo-  
cunq; modo velint & possint, recte testentur, adeo  
ut in prælio etiam eorum voluntas, in vagina aut  
clypeo litteris sanguine rutilantibus aut gladio in-  
pulvere scripta valeat.

X L V.

An verò & in nostri seculi militibus obtineat,  
& an ad clericos, aliosq; milites togatos recte ex-  
tendatur, haud immerito quis dubitet? Prius af-  
firmamus, Posterius negamus.

X L VI.

Quid verò de limitaneis militibus statuen-  
dumi? hos quoq; militum privilegio merito gau-  
dere censemus.

X L VII.

Ob favorem personarum relaxata est sole-  
mnitas in testamēto, inter liberos, quod quocunq;  
modo factum legitimè probatum valet, ita tamen  
ut si parens literas norit, & in scriptis testari velit,  
expresse nomina heredum & uncias resq; distri-  
buendas designet, & testamenti facti tempus as-  
scribat.

X L VIII.

Duos insuper testes Maximilianus Imperator  
ad hujusmodi testamenti probationem, in consti-  
tutione

tutione quām de testamentis tulit requirere vide-  
tur.

X L I X.

In testamento quoq; rusticorum quinq; testes  
si plures haberi nequeant sufficiunt, & subscri-  
ptiones testium remissæ sunt.

L.

Pietatis favor suasit, ut testamentum ad pias  
causas, duobus vel tribus testibus adhibitis con-  
ditum, jure Canonico valeat.

L I.

Ob necessitatē testamentum pestis tempo-  
re factū, rigidam solemnitatum observationem  
non requirere communi Dd. calculo receptum  
est, Quod an jure recte defendi possit videbi-  
mus,







tem testamentum rite factum co-  
Dd. Rectior est negantium opit

XXXV.

Cæterum testes idonei, roga-  
ptem esse debent, ut his præse-  
testamentum vel clausum vel ap-  
idq; suum esse dicat, eiq; nisi sit  
vel manu propria, vel per octav-  
scribat, & à testibus subscriptione-  
tionem petat.

XXXVI.

Licet autem testes alieno anno  
testatoris signare queant, non tam  
nomine subscribere potest. si v.

XXXVII.

Annulus signatorius an præci-  
aliud signaculum ~~xægantie~~ haben-  
Dd. non convenit. Hoc æquiu-

XXXVIII.

Deniq; nihil interest in qua ma-  
tum scribatur, siue id in tabul-  
nis fiat adeò ut & delititia char-  
phum sufficiat.

XXXIX.

Eadem quæ de testamento sc-  
co diximus, penè omnia in nunci-

